

007  
f. 8p

Tom. 74

1. 8  
2.  
3.  
4. 8  
5. 0  
6. 8  
7. 8  
8.  
9. 1  
10. 2  
11.  
12. 12  
14.  
15. 2  
16.  
17.





Q. D. B. V.

DE PRINCIPIO

IVRIS NATVRAE

GENVINO ET VNIVERSALI,

SVB MODERAMINE ET PRAESIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI

IO. GEORGII PRITII,

SS. THEOLOGIAE DOCTORIS ET  
PROFESSORIS PVBLICI,

PRAECEPTORIS SVI VENERANDI,

AD DIEM XII APRILIS

Ao. O. R. cl. Is eel.

IN ILLVSTRI, QVOD EST SERVESTAE, AN-

HALTINO PVBLICE DISPVTABIT

HORA LOCOQVE CONSVETIS,

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS ERNESTVS DE SCHOENLEBEN.

SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.

H. Rector Doffe



SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
IOANNI AV-  
GVSTO,  
PRINCIPATVS ANHAL-  
TINI PRINCIPI HEREDITA-  
RIO, DVCI SAXONIAE, AN-  
GRIAE ET WESTPHALIAE, CO-  
MITI ASCANIAE, DOMINO  
SERVESTAE, BERNBURGI,  
IEVERAE ET KNIPHV-  
SII. ETC.

DOMINO MEO CLEMENTISSI-  
MO, FELICITATEM PER-  
PETVAM!



# SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,



*V*amuis equidem maxime animo fluctuabam meo, an lineolae istae tam levis momenti, tantillique ponderis, perspicacissimis Serenitatis Tuae oculis subiiciendae essent; partim tamen igniculis quibusdam cupiditatis incendebar, ut nomen meum ante adspectum Tuum illustrissimum verferetur; partim etiam bene intelligebam, maximum pondus accessurum fore hisce pagellis, si tanti Principis nomen ipsis praefigatur, qui hanc quoque, de qua agimus, iuris naturae disciplinam non modo delibavit obiter; sed penitus imbibit, multumque temporis circa istam penitus posuit cognoscendam. Vnde quorarius hoc accidit apud Principes, quod litteris dent operam; eo maiori afficimur et laetitia, quod haec in Te elucere conspicimus, quae in tam multis Principibus desiderantur; et admiratione, cum videmus, tanta ingenii bona et ornamenta in Te Deum plena manu congestisse, ut, quocumque Te applicueris, egregie excellas. Quid igitur mirum?

A 2

cum



*cum fama de laudibus Serenitatis Tuae angustis vni-  
 us prouinciae limitibus continere se minime potuit;  
 sed totam fere Germaniam, immo remotas terras ad-  
 mirabiliter penetrauit? Nos vero DEUS eo maiori fe-  
 licitate cumulauit, quia nos in eorum numerum reposu-  
 it, qui non solum iam iam sub piissimo ac iustissimo Prin-  
 cipe CAROLO GVILIELMO vitam iucundissime de-  
 gunt; verum etiam firmissima hac spe sustinentur, fore,  
 ut, cum extrema aetas Principem nostrum ad aeterna  
 coeli gaudia euocatura est, sibi tamen eadem felicitas  
 sub suauissimo Tuo regimine sit permansura. O quan-  
 tum nostra aliorum felicitatem populorum exsuperat!  
 Habemus Principem, quem vanitas falsa sua dulce-  
 dine non allexit; sed qui verae pietatis amore incen-  
 sus est, et cuius probitas non adumbrata leuiter, sed ele-  
 gantissimis innocentissimisque expressa moribus, dictis  
 atque factis, omnes subditos ad verae virtutis amorem  
 traducit. Cuius Tu optimi Parentis, Serenissime Prin-  
 ceptis, non modo terras successionis iure accepturus es; sed  
 ipsas, virtutes Illius iam iam quasi hereditatis partem  
 praecepisti. Non haec loquor, quia falsam apud Sereni-  
 tatem Tuam gratiam inire et auribus Tuis inseruire  
 cupiam; sed quia ipsa veritas me ad dicendum inuitat et  
 compellit. Cum igitur, ut ad propositum meum reuer-  
 tar, mecum considerarem, magni referre ad speciminis  
 bu-*



DEDICATIO.

*huius commendationem, si efficiam, ut tanto Principi non displiceat; quapropter mihi elaborandum esse duxi, ut beneuolentia Tua, Serenissime IOANNES AVGVSTE, nostris laboribus quasi propitium numen adfulgeat. Reuocabat sane, ut dixi, me opellae huius tenuitas, sed statim recurrebat in mentem, magnos Principes non tam muneris oblatis dignitatem expendere, quam offerentis animum atque fidem gratiose ponderare. Hac itaque Tua benignitate atque humanitate fretus, hasce pagellas ad Serenitatem Tuam submissisimo studio emisi; quod si bene positam a nobis operam dixeris, de ceteris, quin idem sentiant, non equidem sum dubitaturus.*

*Serenitatis Tuae*

Seruetstae D. III. Iduum April.

A. R. O. clō Is ccl.

Subiectissimus

CAROLVS ERNESTVS de SCHOENLEBEN.

A 3

PRAE-





## PRAEFATIO.

**C**um natura humana a sapientissimo rerum omnium creatore ita comparata sit, ut ipsi ingens quoddam adhaereat desiderium, res extra se positas magis magisque cognoscendi, quod vel inde utilitas quaedam percipi, vel haec ipsa cognitio maximam animo voluptatem adferre valeat; nemo est, qui dubitat, quin istae disciplinae, quibus hominum animi excoluntur, & in rectam viam deducuntur, liberali atque sapienti homine, quem rerum humanarum fucata forma, & illae, quibus plerique falluntur, insidiosae voluptatum illecebrae nondum ceperunt, dignae, illique imprimis viles existant. Quapropter & extra omnem dubitationis aleam positum esse existimo, istud tempus, istamque operam, quae in rebus, ad omnem vitam hominis spectantibus, inquirendis atque cognoscendis consumitur, optime collocari. Prae omnibus tamen mihi visus est ille industriam suam praeclarissime utilissimeque ponere, qui in officiis hominum penitus cognoscendis mentis aciem praecipuaque studia defigit; nec enim vlla homines scientia illa propius attingit; quippe cum lex naturae, vnde tam multa officia nobis in vita humana incumbentia originem traxerunt, hominum cordibus ab huius vniuersitatis parente atque opifice Deo sit impressa penitusque inscripta; & praeterea ad conseruandam




PRAEFATIO.

dam communem tranquillitatem actiones omnes dirigere doceat; quod ille optime intelliget, qui secum reputat, quam saepe vnus hominis ambitio, avaritia atque libido, integras euerterit funditus ciuitates; quibus tamen similibusque morbis nobilissima medetur hæc scientia. Atque hæc illa quoque disciplina est, quæ tantam Socrati attulit nominis celebritatem; nam cum iste totum se huic disciplinae traderet, eam nominis gloriam sibi comparauit, vt etiam diceretur primus philosophiam de coelo deuocasse, & in vrbes & conuentus hominum adduxisse; in hoc quippe præcipue omne tempus contriuit, vt a scrutinio rerum naturalium homines ad considerationem actionum humanarum inuitaret, & sapientiam ad captum omnium hominum proponeret. Cum igitur intelligerem, quam inde Socrates, quasi ex optimo fonte, hausisset utilitatem, quamque incunditatem, illi mihi videntur rectius facere, qui ad Socratis institutum, non quidem negligat aliarum partium in sapientia cognitionem; hanc autem ante alias imbibat probe, penitusque excolat; id quod & mihi præeuntibus Vniuersitatibus Clarissimis semper faciendum existimaui. Nunc cum mihi iniunctum sit ab iis, a quibus studia mea diriguntur, vt huius rei specimen quoddam ederem, visum est mihi in hoc præcipuo argumento, quo veluti rei summa continetur, versari;

vbi



vbi haec me imprimis cura sollicitum tenet, vt beneuolus lector, quam, aliorum potissime imperio impulsus, iam emittere constitui dissertationem, aequo adspicere animo, bonique consulere velit; id quod, honorem cui-cunque suum praefatus, enixim rogitō.



TOTIVS DISPVTATIONIS FACIES.

I. **D**ari ius naturae. II. Huius iuris homines posse habere certam notitiam. III. Sed huius notitiae reperiendae & tradendae variam apud sapientes esse rationem. IV. Rectius autem facere illos, qui hanc scientiam in formam artis redegerunt, quos inter primus est Hugo Grotius, quem secuti sunt Hobbesius, Pufendorffius, Alberti & alii. V. Ita enim sese rem habere in disciplinis a ratione dependentibus, vt detur prima veritas, ex qua reliquae omnes dependeant. VI. Hypothesis Hobbesiana. VII. Argumenta, quibus Hobbesiana illa hypothesis euertitur. VIII. Sententia Samuelis Pufendorffii. IX. Sententia Valentini Alberti, & aliorum. X. Disputatur contra sententiam illustris Pufendorffii. XI. Dubia contra sententiam celeberrimi Alberti. XII. Fit transitus ad aliud principium, quod istis difficultatibus non sit implicitum, & cum natura humana ex acte conueniat, ex consideratione ipsius naturae. XIII. Res illustratur simili. XIV. Qualis natura hominis sit, ia



TOTIVS DISPUTATIONIS FACIES.

patere ex eius fine. XV. Qualis vero finis sit hominis, ut cognoscatur, ad DEum ascendendum esse. XVI. DEum esse ens sibi sufficientissimum, & inde intellectu & voluntate praeditum. XVII. Ens intellectu & voluntate praeditum semper agere ut est naturae suae conueniens. XIX. Ergo DEum in condendis creaturis egisse ex fine, qui est, ut extra se laetaretur. XIX. Vnde patet, qualis debuerit esse in genere creaturarum natura. XX. Et qualis peculiariter debuerit esse natura hominis. XXI. Haec hominis natura inuoluit libertatem. XXII. Ex quibus patet, quinam a DEO sibi constitutus fuerit finis, cum conderet hominem. XXIII. Ex disputatis hactenus constat, quam notitiam homo de statu suo primitiuo possit habere. XXIV. An status integer ex natura possit cognosci? XXV. Digressio ad quaestionem, quousque pateat naturaliter notitia de labe originali? XXVI. Nostra de his quaestionibus sententia. XXVII. Ipsum principium iuris naturalis genuinum & vniuersale. XXVIII. Quomodo ex illo principio officia aduersus DEum deducantur? XXIX. Quomodo ex illo principio officia erga semet ipsum nascantur? XXX. Quomodo ex hoc principio fluant officia hominis erga alios homines? XXXI. Specimen demonstrationis secundum istud principium tum a priori tum a posteriori. XXXII. Praerogatiua sententiae nostrae prae principis ab aliis positis.



*Dari ius naturae.*

**E**ffe aliquod ius omnibus hominibus impositum, patet non solum ex testimoniis sapientissimorum hominum, qui omnes in hoc vno conspirarunt, esse aliquam legem cordibus hominum insculptam, secundum quam aduersus se inuicem agerent. Eleganter Poeta huius seculi & Doctor ipsius huius disciplinae primus & primarius:

*Lex ista ubique est, quae nec in tabulis cedri,  
Nec in aere pendet sculpta, nec stat in marmore;  
Sed corde in ipso est scripta communis manu  
Auctoris: Illam qui fugit, sese fugit.  
Ferae quoque ipsae genere consortes amant.*

Sed & hoc ipsum ex manifesta ratione euelli potest, si vel maxime praesenti hominum conditioni cogitationibus nostris inhaereamus. Cum enim vnusquisque homo per se egenus sit, aliorumque auxilio indigeat, & quicquid commoditatum vitam humanam comitatur, id omne ex mutua hominum ope profluat, necesse est, vt homines consentiant certas quasdam societates; si vero dantur societates, etiam datur naturale ius seu naturalis convenientia & disconuenientia ex recto rationis dictamine petita; cum nulla societas, quaecumque sit, tueri se & conseruari sine iure possit; deficiente enim iure eripitur norma, secundum quam homines actiones suas componere valent, & cuique hoc modo fit potestas pro lubitu agendi, quodcunque sibi in mentem venit; qua rerum conditione non potest non ingens exoriri confusio; quae proinde vt euiretur, a iure vniuersali vt regantur homines, opus habent. Sed illustriora & directa magis argumenta infra producemus.



## §. II.

*Huius iuris homines posse habere certam notitiam.*

Hoc ius dicitur inscriptum esse hominibus, qua de re ut sunt diuersae opiniones, ita id certissimum est, quod omnes homines sibi ex solo rationis lumine comparare possint eius li- quidam, certam & firmam notitiam; nam etsi plurimos fugiat, quomodo iuris naturalis praecepta artificiose demonstrari & ante oculos poni possint, & maxima hominum pars ex adsue- tudine, quia a teneris annis videt bona probari, mala improba- ri, & illa laudem, haec poenam sequi, legem naturae fere addif- cere solet; tamen etiam homo, si vires rationis, in hominem abs creatore collatas, & adhuc superstites adhibere, ut debet, velit, minime dubium est, quin ius naturae solide demonstra- ri possit, saltem hactenus, ut quid consecretandum sit in vita hu- mana, quid fugiendum, ut colenda sint erga socios officia, per se ipse cognoscat.

## §. III.

*Sed huius notitiae reperiendae & tradendae variam apud sapientes esse rationem.*

Interim ius istud naturae etsi semper idem sit, magna tamen deprehenditur in eo proponendo diuersitas; ut nihil nunc di- camus de gentibus, quas ob morum impolitiem barbaras voca- ri mos inualuit; [quamuis compertum sit, sanctius saepe ipsas, quam alios populos, nescio qua elegantiae singularis opinione sibi placentes, viuere;] quae fere ex nudo dictamine rationis agant, sapientiae praecepta, quae litteris continentur, habentes insuper: inter moratiores homines, qui diutius nobilissimam hanc disciplinam desiderari noluerunt, alii sine certa metho- do & constanti per regulas saltem, ut vnaquaque res post aliam in mentem venit; alii ex certis principiis istam tradidere.



*Rectius autem facere illos, qui hanc scientiam in formam artis redegerunt, quos inter primus est Hugo Grotius, quem secuti sunt Hobbesius, Pufendorffius, Alberti & alii.*

Minime tamen dubium est, quin, qui totam hanc disciplinam in formam artis redegerunt, rectius egerint, quia hoc modo quaevis disciplina multo clarius & perspicue magis ante oculos poni, & praeceptorum omnium consensus eo facilius elici potest ab ingenio humano. Istitis igitur, qui in id summo studio incubuerunt, faciem praetulit splendidissimam, (vt vulgata licet ista hic memoremus,) vir incomparabilis, Hugo Grotius. Ante istum enim nemo vnquam extitit, qui naturalia iura in plenisystematis rotunditatem disponere aggredetur. Fuerunt quidem inter veteres philosophos, qui circa mores hominum ad dictamen sanae rationis componendos elaborarunt, vt de Socrate supra mentionem huius eius instituti intulimus; siquidem eorum scripta non paucas continent sententias ad ius naturae illustrandum vnice quam facientes; ita tamen, vt multo minoris sint, quam expectari ab illis par erat, qui magnam temporis partem in eo contriuerant, vt hominum mores ad naturae leges efformarent. Qui proximis abhinc seculis istos in colendo philosophiae studio secuti sunt, minime hunc supplementum defectum deprehenduntur. Aristotelis enim dogmata tanto studio arripiebant, vt vel existimarent pro seculi ruditate, vel & aperte dicerent; nihil ab eo ceteris relictum esse ingeniiis, quo vltius progredierentur, vnde est, quod viri huius admiratio per complura secula gentem scholasticam ita velut attonitam reddiderit, vt summus eruditionis apex haberetur istius scripta posse interpretari; cum tamen constet scripta ipsius, quae in argumento, ad mores hominum spectante, occupan-



pantur, si seponas quae de principiis actionum humanarum in  
 ethi corum libris traduntur, vix aliud quam officia ciuis cuius-  
 piam reipublicae Graecanae continere. Iuris consultos Ro-  
 manos plurimum quoque lucis, quod negandum non est, iuri  
 naturali attulerunt; sed eorum scripta partim interierunt; Iu-  
 stiniano Imperatore pro integris operibus quaedam nobis sal-  
 tem excerpta eorum ad nos transmittente; partim ipsa; quip-  
 pe quibus iura positiva admixta erant, non erant idonea vt ex  
 istis tota iuris naturae disciplina erui potuisset. Qui recentius  
 iuribus tradendis studuerunt, omnem eruditionem ex Iustini-  
 ani voluminibus hauriri posse opinabantur; quapropter & mi-  
 seri mortaliu[m] credebant, omnes lites, etiam quae inter inte-  
 gras gentes exortae erant, ex iure suo civili dirimendas esse. Ita  
 ergo peculiari adhuc, qua iuris naturalis decreta explicantur,  
 disciplina opus erat. Fatendum utique est, in legibus Ebraeo-  
 rum vix vllum esse caput iuris naturalis, quod aliquatenus ta-  
 tum non sit; pari modo & in libris noui foederis praecepta  
 legis naturae passim luculentissime inveniuntur expressa; cum  
 vero positua quoque naturalibus immixta hinc inde conspi-  
 ciantur legibus; cumque vniuersum genus humanum in reli-  
 gionem christianam non consentiat, non minus adhuc res lit-  
 teraria peculiarem iuri naturali exponendo disciplinam effla-  
 gitabat. Cum enim non exigua pars mortaliu[m] diuinam religi-  
 onis christianae auctoritatem aspernetur, cui tamen & inter se,  
 & cum christianis agenti, negotia utique ad legem naturalem  
 sunt attemperanda; ad patet sane ex alio principio, apud om-  
 nes aequo agnito, & ad omnium captum attemperato, deduc-  
 endum esse ius, ad quod omnium eorum actiones, qui tam di-  
 uersa circa religionem sentiunt, exigi par sit. Hic igitur, quod  
 viris doctis adnotatum iam dudum est, ad illud opus molien-  
 dum, in quo nulla priorum, quem diximus, vestigia ipsum



regebant, accinxit se *Hugo Grotius*, tunc temporis otio, litterisque circumfluens in Gallia, quae in patria male habitum humanissime exceperat, idque instigante potissimum Nicolao Peirescio, celeberrimo isto litteratorum fautore; & inde anno superioris seculi vigesimo quinto libros tres de Iure belli & pacis inscriptos, in mundum emisit; quum enim sibi diffideret, vniuersam disciplinam primo conatu abs se exhauriri posse, ita titulum operis attemperauit, vt ne eidem temere imperfectio obiici posset. Grotium excepit *Thomas Hobbesius*, vir summo quidem ingenii acumine praeditus, & qui multum indutriae in disciplina iuris naturae excolenda collocauit, cuius rei vt specimen ederet librum suum de Ciue in orbis theatrum profluxit; sed vbi tamen falsa & paradoxa hypothesi, quam doctrinae suae subtrauit, toti fere operi maculam inussit; quamuis nihilo minus ad eius postea opinionem siue ex toto siue ex parte sese adiunxerint, vt de *Spinoza* nihil dicamus, Viri Clarissimi, *Lambertus Vellehusius* Batauus, & *Io. Christoph. Beckmannus* Polyhistor & Theologus Francofurtensis; sed illustris vir *Samuel a Pufendo* huic disciplinae suam pene perfectionem attulisse a plurimis creditur, editis primum Elementis prudentiae iuris vniuersalis, & deinde magno isto opere de Iure naturae in lucem euulgato; quanquam id postea iterum in libello de Officiis hominum & ciuium inter angustos limites redegerit. Laudem suam promeritus vtrique est & labor insignis Theologi & Philosophi, *Valentini Alberti*, celeberrimi meritisque de bonis litteris apud Lipsienses Doctoris, qui post hos omnes eleganti libello ius naturale iuxta hypothesin christianis propriam ingeniose & solerter exposuit. Ceteros, qui de ista disciplina litteris aliquid consignarunt, ob breuitatis amorem silentio liceat praeterire.



## §. V.

*Ita enim sese rem habere in disciplinis a ratione dependentibus, ut detur prima veritas, ex qua reliquae omnes dependeant.*

Cum autem ius naturae nihil aliud in se contineat, quam hominum officia, quae ex lumine & dictamine rectae rationis unicuius patefunt, necesse est, ut vna demum detur prima veritas, quae ab omnibus gentibus pro vera & indubia, si modo velint recta ratione uti, cognosci pariter & agnosci possit; atque hinc deinde reliquae deriuentur; ut fieri solet in disciplinis, quae lumine naturae constant, ut, cum vna veritas cum altera veritate sit connexa, deueniatur tandem ad primam veritatem, ex qua reliquae velut annuli omnes dependeant.

## §. VI.

*Hypothesis Hobbesiana.*

Et de hac veritate prima imprimis solliciti illi fuerunt, qui hanc iuris naturalis disciplinam accuratius tradere voluerunt; quapropter & Thomas Hobbesius, cum de libro suo prodendo cogitaret, in id summo opere incubuit, ut suam doctrinam certae hypotesi superstrueret. Arrisit autem ipsi potissimum vetus Epicureorum sententia, secundum quam homines fingit e terra fungorum more exortos & adultos sine omni vnus ad alterum obligatione. In isto autem, ut porro sciscit, statu, quem naturalem adpellat, naturam dedisse unicuique ius in omnia; porro quia homines vllis pactis se nondum adstrinxissent, ideo unicuique licuisse facere quaecunque & in quoscunque libuerit, & possidere, uti, frui omnibus, quae voluissent; sed ex isto tandem iure omnium in omnia, quo alter iure inuadit, alter iure resistit, concludit: statum hominum naturalem, antequam in societatem coiretur, fuisse bellum omnium in omnes; inde oritur iam primum illius iuris naturalis fundamentum.



mentum : unumquemque non posse non vitam & membra sua, quantum in suis viribus situm est, tueri ; & quia iste ius ad finem frustra habet, cui ius ad media necessaria denegantur ; consequens esse, unumquemque ius habere utendi omnibus mediis & agentibus omnia, sine quibus conservare se nequeat.

## S. VII.

*Argumenta, quibus Hobbesiana illa hypothesis evertitur.*

Hæc sententia multis profana valdeque periculosa non sine ratione visa est ; nam et si inde satis luculenter deduci potest, quod necessitas hominibus incumbat, ut cum aliis in societatem coeant, perque pacta se inuicem conglutinent ; ac illa tamen primum de hominum origine, quæ adsumit & ponit, plane falsa deprehenduntur ; cum nunquam tanta hominum multitudo ex terra a semetipsis veluti ortorum, exiret, qui sibi inuicem nullis vinculis, nulla obligatione, fuissent alligati : sacrarum enim litterarum auctoritas nos edocet, primum hominem a Deo creatum, illique ab eodem creatore sociam fuisse adiunctam, cuius materia ex primo homine desumpta fuerit, ut eandem, tanquam ex carne & ossibus suis productam, tenero statim amore complecteretur ; unde optime continuo datur colligere, naturalem hominum statum potius pacificum fuisse, quam bellicum. Deinde etiam falsum est, quod in naturali statu ius fuisset omnium in omnia ; nam hoc mutuo hominum erga se inuicem amori aduersatur, quæ ex similitudine naturæ resultat ; cum enim nulla sit tam fera bellua, quæ non sui generis bellua maxime delectetur ; pari modo & natura homini præscripsit, ut nihil amabilius quam hominem putet. Nec obstat, quod Hobbesius obiicit, hominibus adesse & facultatem & voluntatem inuicem nocendi. Nondum enim extra omnem dubitationem positum est, omnibus hominibus adesse damnum aliis inferendi



rendi facultatem; quomodo enim isti, quos locorum inter-  
 capedo disiungit, sibi inuicem nocere possunt? res enim no-  
 strae nisi per praesentem perdi nequeunt; cum autem res ita  
 se habeat, non video, quare isti, qui nec nocere nobis possunt,  
 cum a nobis absunt; neque volunt, quia illis nihil de nobis  
 constat; non potius inter amicos, quam inter hostes repo-  
 nendi sint. Quod vero voluntatem nocendi attinet, illa ipsa  
 virium aequalitas, quam Hobbesius tanto apparatu adstruit,  
 hanc potius refrenare, quam incitare videtur. Cum enim vni-  
 cuique parti idem periculum subeundum sit, & fortuna mo-  
 do huic, modo illi arrideat, neminem tam rationis expertem  
 putem, ut ipse in perniciem suam ruere sponte cupiat. Quod  
 autem periculosa sit Hobbesiana opinio, facit imprimis, quod  
 haec si valere debent, perpetuo inter se bello reges atque  
 respublicae sint collidendae; ac neque illos & illas vlllo modo  
 adstrictos esse, ut pacta, quae inter se inierunt, seruent, vel ab  
 inferendo aliis damno, si id commodo fieri possit, abstineant.  
 Cum enim, reges civitatesque in statu naturali degere, ipse  
 doceat; etiam cum pacem fecerunt inuicem, & pacta condi-  
 derunt; necesse est, ut secundum ipsius hypothesein ius istis  
 adhuc competat in omnia; quo fundamento posito, pacta om-  
 nia nullius posse esse vsus inter imperantes, est evidens si-  
 mum.

## §. IX.

*Sententia Samuelis Pufendorffii.*

Cum igitur maxima eruditorum pars hanc viri, ceterum  
 solertis, sententiam, veluti paulo profaniorum & in pernici-  
 em humani generis excogitatum, respueret, de solidiori fun-  
 damento cogitarunt. Atqui sic plerique, quantum scimus,  
 socialitatem adsumserunt, praecunte, quem supra iam cum  
 laude nominauimus, cum Grotio *Samuele Pufendorffio*. Vir  
 ille eruditissimus, cum de legis naturalis indole atque neces-

C

sitate



sitate valde sollicitus esset, ipsam hominis naturam, condi-  
 onemque & inclinationes accuratius duxit esse contemplan-  
 das. Hic autem deprehendebat, hoc esse homini cum omni-  
 bus animantibus commune, ut se ipsum tenerrimo amore  
 complectatur, in eoque omnes ingenii vires profundat, se-  
 metipsum ut conseruet, & quae ipsi intenduntur mala, valide  
 propulset; in eo tamen prae brutis deteriore esse conditione  
 ait hominem, quod sine aliorum adminiculo vix possit ad  
 maturam aetatem adlescere; aut si demus, hoc aliqua rati-  
 one fieri posse, in illo tamen tantam reperiri imbecillitatem,  
 tantamque naturalem indigentiam, ut si hominem solum  
 absque vilo auxilio, per alios homines accedente, & quasi vn-  
 decunque in mundum proiectum fingamus, vita ipsi in poe-  
 nam data videri possit. Videbat porro, post diuinum Numen  
 non plus subsidii atque solatii in hominem redundare posse,  
 quam ex aliis hominibus; eosdem tamen homines non paucis  
 laborare vitiis, quippe cum maxima eorum pars, vel voluptati  
 sit dedita, vel opibus parandis & conseruandis auidius disti-  
 neatur; vel denique honores immodice ambiat; ex quo hoc  
 tandem fluere, quod non solum homo aptus sit, aliis multum  
 molestiae atque nocumenti inferre; sed etiam quod hoc saepe  
 cupiat, quo cupiditates suas voluptate aliqua permulceat.  
 Ex hisce omnibus satis luculenter adparet, quod homini ni-  
 hil magis incumbar, si semetipsum conseruare, suamque salu-  
 tem promouere velit, quam ut se sociabilem praebeat. Con-  
 sistit ergo secundum illius sententiam primum iuris natura-  
 lis principium, seu fundamentum in eo; ut, quae ad conserua-  
 tionem societatis humanae faciunt, homo summo studio perficiat; ea  
 vero, quae eandem societatem dirimunt, atque euertunt, quantum in  
 se est, intermittat.



## §. IX.

*Sententia Valentini Alberti, & aliorum.*

Sed praeter istos, qui huic sententiae nomen dederunt, extiterunt & alii viri non minus ingenii acumine pollentes, qui fundamentum legis naturalis ex cognitione status integri hauriri & posse & debere voluerunt; cum enim homo ad Dei sit expressus imaginem, ad cuius reliquias referendum sit ius naturae; consequi dicunt, *vt status integritatis, quippe in quo istud naturale ius aequae ac reliqua omnia integrum atque purum inueniatur, rectissimum nobis praebeat typum, secundum quem status hic noster corruptus iterum componi, & ad pristinum ordinem reduci queat.*

## §. X.

*Disputatur contra sententiam illustris Pufendorffii.*

Licet nunc quidem libenter patiamur, suam vnumquemque sequi opinionem; licere tamen nobis existimamus, quae in iis desideramus, modeste exponere. Socialitatem equidem in multis attendi debere, cum agitur de iure naturali, minime abnuimus; sunt tamen, quae monenda nobis hic videntur non pauca. Primo enim nulla ratio adparet, quare vir illustris, cum iuris naturae fundamentum liquidissimum ponere vellet, hominem non secundum veram suam originem considerauerit; sed tantum ethnicis tribuerit, vt illorum in gratiam illum vndecunque in mundum proiectum fingeret; cum tamen cuius gentilium e natura demonstrari luculenter possit, hominem a Deo esse productum, & nunquam in tantis miseris, quibus iam homo implicitus est, creatum; Etsi vero differitur, fictionis huius usum saltem esse eum, vt eo luculentius inde hypothesis ipsa deducatur, & vt magis adpareat, alias hoc vel illud absurdum minime evitari posse; istis tamen, qui sic excipiunt, regerimus, superesse alias vias,



quas ingredi licet, qui veritatem inuenire, inuentamque proponere cupiat. Deinde & hoc imprimis animaduertendum est, si soli & unice societati in demonstrandis naturae legibus attendamus, videri hoc modo ius naturae homini saltem quoad actiones externas modum praescribere, quatenus istae scilicet ad conseruationem socialitatis faciunt; quoad internas vero nihil aequae hominibus imponere; sed cuique libertatem esse integram, facere quae facit, quacunque lubet ratione; si saltem, quod facit, socialitatem non violet aut destruat; id quod etiam ipse illustris sententiae huius primarius vel auctor, vel propagator diffiteri non potest. Quia vero ipse DEus legis huius auctor existit, qui mortalium eandem cordibus indiderit; ille non tam, quod externum est, quam quod est internum, animum nempe & cor hominis, curat; & proinde coram iudicio conscientiae, hoc est interne in homine de actionum humanarum bonitate iudicat; vnde vix possumus videre, quomodo socialitas sufficiens esse possit, vt inde integrum ius naturae, prout ipsum purissimas & nulla labe deoedatas actiones requirit, depromatur. Accedit & istud, quod lex naturae multa vtique nobis imponit officia, quae erga DEum, tanquam supremum legislatorem, praestanda veniunt; illa ipsa vero non directe; sed indirecte saltem per longas ambages ex isto principio deriuentur; quod ingenue confitetur alicubi, qui sapientissimis operibus hoc principium veluti fundamentum praestruxit, ea praecepta, quae ad DEum spectant primario & directe ex socialitate minime deriuari; sed saltem indirecte inde elici posse. Tandem vero, quod nobis haec doctrina videatur minus ad rem quadrare, haut leue adfert momentum, quod absque omni dubio homines in statu integritatis secundum ius naturae quoque vitam egissent suam; quod vtique ex suo fundamento ratiocinando deduxissent; vbi tamen fundamenti loco nequaquam



ex miseria humana concludere potuissent, homines debere esse sociabiles, quia eiusmodi miseriae penitus expertes atque ignari fuissent. Saltem ita non argumentari potuissent, uti videmus fieri ab illis, qui huic fauent sententiae. Viderur ergo nobis hoc principium angustius, quam ut integrum ius naturae exinde hauriri possit.

## §. XI.

*Dubia contra sententiam celeberrimi Alberti.*

Dicenda quoque sunt nonnulla circa sententiam de iure naturae ex statu integritatis deducendo. Licet autem non negemus, sententiam illam & piam esse & ingeniosissimam, ut & eruditissimi homines eidem pollicem premere non dubitauerint; sunt tamen in promptu nonnulli scrupuli, qui impediunt nostram intelligendi facultatem, ne pronum per omnia eidem accommodet ad sensum. Ex hac igitur sententia imitatione addiscerur, quid iuris sit naturalis; cum enim negare nemo possit, in statu integritatis homines non duntaxat felicissimos, sed & sanctissimos fuisse futuros, illum rectissime sibi consulere, qui, cum, quae iuris naturae sunt, vult efficere, primum hominem sibi proponat, cuius ipse studiosissime imitetur actiones. Atqui vero, dicere hic aliquis potest in contrarium, quid opus fu erit, ut ex imitatione illud addiscamus, tanquam ex notitiae nostrae fundamento primario, cum iam apud omnes notum & peruulgatum sit, esse ius naturae & omnia eius praecepta hominibus insculpta; unde iam necesse est, ut principia quoque cognoscendi iam nota sint natura. Si dicitur, illa, quae nobis agenda incumbunt, per certas conclusiones esse deducenda; in promptu est regerere, quod hoc modo res, non ex statu integritatis, sed principio rectae rationis, innotescat. Res clarius patebit ex exemplo. Lex naturae liberis iniungit, ut parentes amore omni & veneratione colant; quod si iam scire cupio, an hoc sit



praeceptum iuris naturalis, oportet secundum hanc sententiam ingredi in statum integritatis, si hic inueniamus, liberos parentes amore complexos esse, idem quoque nobis esse faciendum; sed vero constat, Adamum & Euam nullos in statu integritatis suscepisse liberos; unde nondum liquet ex ipso actu, liberos parentibus suis omnem cultum praestitisse. Quod si aiunt illi, id vero aliter in statu integritatis fieri non potuisse; hoc si credere debeamus, quod & credimus, adfertionis tamen huius est reddenda ante omnia ratio, quae sane non amplius ad statum integritatis referenda est; sed ex ratione necesse est, ut arcessatur. Ita euidentissime patebit, statum integritatis principium cognoscendi legis naturae suppeditare minime posse. Porro si consideramus, hodierno tempore post lapsum multa facienda nobis superesse, quae nunquam locum in statu integritatis inuenerunt; dicitur quidem, quod haec omnia dirigantur a statu integritatis *normaliter*; licet enim praeceptum eo in statu non adfuerit actu; uti alia, quae *formaliter* inde desumuntur; tamen debere nunc haec sibi proponi tanquam *norma*, ut eisdem in aliis quoque, quae non admisisset felicissima conditio, suas conformet actiones homo. Sed hic prius conficiendum erat, ostendendumque, eiusmodi res in statu integritatis *formaliter* peragendas fuisse; quomodo enim me dirigere vel obligare potest *normaliter*, quod an *formaliter* adfuerit, nondum sum certus? Rem iterum exemplo illustrabimus. In aperto est, nihil in statu integritatis de bello fuisse perceptum, vel percipi potuisse; quomodo ergo nunc bellum gerere possumus secundum normam status integritatis? cum in isto bellum nunquam, ut loquuntur, *formaliter* fuerit. Si vrgeretur, statum integritatis disponere eiusmodi res *normaliter* mediantibus certis regulis, ad indolem status integritatis formatis, facile est regerere, rem, ad quam norma illa exigi debeat, in illo statu adfuisse  
opor-



oportere; quod, ut iam iam negauimus, innotescere nobis posse ex paucissimis actionibus, quas legimus de protoplastorum actionibus in sacro codice descriptis; sic reliquum est, ut statuamus, ipsam rationem, in formandis, ut ita loquamur, prototypis, utramque facere paginam; unde iam patet, si omnia recte computemus, ius naturae non ex imitatione status integri, sed ex ratione ipsa hauriri. Denique huc quoque istud non nihil facit, quod homines in primo statu vitam non solum secundum praescriptum iuris naturae, sed etiam, quod palam est, & omnes consententur, secundum reuelatam diuinitus legem composuissent; si igitur lex naturalis ex contemplatione status integritatis deriuari debeat; primo exponatur necesse est, quae ibi facta fuissent ex indito iure naturae, quaeque ex reuelata lege diuina; utrumque enim uero tale est, ut imitatione utriusque generis actiones potuerint exprimi. His omnibus inductis dubitare liceat, an integrum ius naturae, eiusdemque omnia praecepta ex cognitione status integritatis deriuari possint & debeant.

## §. XII.

*Fit transitus ad aliud principium, quod istis difficultatibus non sit implicitum, & cum natura humana exaeque conueniat, ex consideratione ipsius naturae.*

Mittimus aliorum sententias, quae vel non valde differunt ab iis, de quibus iam dictum, vel quae ab aliis sunt iam excusae, vel quae tanti momenti non esse videntur, ut circa has pedem figamus. Potius est, ut de principio aliquo cogitemus ipsi, ex quo sine illis difficultatibus, quibus implicantur, ut vidimus, sententiae reliquae, totam illam disciplinam ita deducamus, ut illius partes bene inter se cohaereant omnes, & ex se euidenter fluant. Ut ergo ius, de quo agendum est, vocatur naturae lex, putamus id quoque ex principiis natura notis non tantum deri-



deriuandum esse, sed & principia illa esse eiusmodi debere, vt naturae hominis conueniant, eorumque veritas atque existentia certis & manifestis demonstrationibus subnitatur.

## §. XIII.

*Res illustratur simili.*

Persuasi vero sumus, quale sit istud, non melius cognoscere nos posse, quam si naturam ipsius hominis probe habeamus perspectam. Conspicimus eiusmodi aliquid in rebus arte factis; qui organi musici, vel alterius instrumenti habitudinem & structuram, vt se habere debet, velit cognoscere, id melius facere non potest, quam si naturam illius reddat sibi perspectam; tum enim facile perspicier, quomodo sese habeant illa, quae cum illa congruant, quaeque illi aduersentur: pari modo & iuris naturae indolem melius perspicere non possumus, quam si exacte in conditionem humanae naturae inquiramus.

## §. XIV.

*Qualis natura hominis sit, id patere ex eius fine.*

Hic autem rem paulo profundius meditari decet. Qualem naturam homo debeat habere, patebit luculentissime, si, quem in finem eiusmodi, qualis est homo, creatura in mundi scenam fuerit introducta, accuratius considerauerimus. Vt enim, qualis organi musici sit natura, vel calami scriptorii, vel alterius rei arte factae, ex eius fine, ad quem composita seu destinata est, facillime poterit perspicere; ita & hominis naturam non melius, quam ex eius fine, qui ei praestitutus est, intelligere possumus.

## §. XV.

*Qualis vero finis sit hominis, vt cognoscatur, ad Deum adscendendum esse.*

Finem autem hominis tum memoratum, necesse est, vt ad eum



eum a descendamus, qui finem istum sibi propositum habet; ut  
verbi causa finem calami, dum considerare volumus, eum a-  
dire necesse est, qui eius auctor existit; pari modo & hic de  
DEO iniicienda est mentio, ut qualis finis isti in formatione  
hominis fuerit constitutus, pateat.

## §. XVI.

*Deum esse ens sibi sufficientissimum, & inde intellectu  
& voluntate praeditum.*

Hoc ut recte percipiamus, considerandum est ante omnia,  
DEUM esse ens, quod se solo sibi sufficiat; sitque perfectissi-  
mum, omnibus que numeris absolutum; nihilque requirere  
amplius, quod extrinsecus ad suam perfectionem consumma-  
tissimam accedat. Potest autem ens non esse perfectissimum,  
nisi gaudeat intellectu & voluntate, cum alias suas perfecti-  
ones neque intelligere, neque iis delectari posset; quod ta-  
men utrumque desideratur ad felicitatem supremam, & nu-  
meris suis absolutam; ut adeo in illis duabus facultatibus tan-  
tum ponderis atque momenti situm sit, ut, si istae absint,  
nullam quoque felicitatem nobis cogitando informare que-  
amus.

## §. XVII.

*Ens intellectu & voluntate praeditum semper agere ut  
est naturae suae conveniens.*

Porro omne ens, quod intelligendi facultate praeditum  
est, quodque ex felicitate sua voluptatem capit, id semper a-  
git, quod cum natura sua congruit, aut imprudenter agit, aut  
stupidum est; ita autem agit convenienter naturae suae, ut si-  
bi scopum aliquem probe expensum praefigat, in quo acqui-  
escat; & ex quo obtento laetetur; hoc qui faciunt, dicuntur  
agere propter finem.



*Ergo DEum in condendis creaturis egisse ex fine, qui est,  
ut extra se laetarètur.*

Hac igitur ratione, quando DEus voluit mundum condere, & in mundi proscenium, quem ex nihilo conflauerat, collocare omnis generis creaturas, atque praesertim hominem; sibi sane tanquam sapientissimum & absolutissimum ens finem praestituerit, necesse est, quem consequi cupiebat; ubi quidem id manifestum est, non sui perficiendi causa, hoc est, ad perfectionem suam amplificandam, DEum de creando homine cogitasse; quippe cum tanta utatur ipse iam tum felicitate, ut nihil profus eadem vllius creaturae productione adiungi queat, sed potius existimandum est, praeterea voluisse condere creaturas, ut haberet, quo extra se arbitrarie, si ita loqui liceat, laetaretur.

*Vnde patet, qualis debuerit esse in genere creaturarum natura.*

Facili autem negotio hinc probare possumus, creaturas omnes, etiam quas praeter hominem DEO creare libuit, condi debuisse in summa, quantum in suo vnicuiusque genere fieri potuit, perfectione, pulchritudine & beatitudine; cum enim DEus tanta in se gaudeat perfectione, ut laetari re vlla non possit, nisi in eo; quod ad sui similitudinem quam proxime accedit, sibi que conueniens est; ipse autem sit beatissimus, sit perfectissimus, sit pulcherrimus, omnibusque denique felicitatibus instructus; in creaturis certe non poterunt non haec inesse omnia, si DEus istis debuit delectari.



*Et qualis peculiariter debuerit esse natura hominis.*

Ita quidem res se habet in iis etiam creaturis, quae infra sunt hominis excellentissimam praestantiam; quae autem hominis praeterea debuerit esse natura, ostendendum hac methodo porro est. Vbi quidem, qualis cereteroquin hominem esse decuerit, ex iis, quae de reliquis creaturis iam dicta sunt, intelligere possumus; nam uti cum istis multis in rebus conuenit, ita & parem adfuisse causam, cur DEUS eum ita voluerit esse, facile intelligimus. Sed ut homo prae aliis dotibus pretiosissimis aliis est praeditus; ita monstrandum est, quid DEO in consilio fuerit super hac re, cum hominis creationem adgrederetur. Hominem intellectu & voluntate esse praeditum, nemo est, qui negat. Sed unde hoc? hic certe oportet praecessisse peculiare aliquod summi creatoris decretum, velle se habere creaturam, qua summopere delectaretur, & ex ista egregiam sentiret voluptatem; tum autem oblectabitur DEUS summopere aliqua creatura, cum ipsum summopere diligit, atque tenerrimo amore complectitur; id quod haudquaquam fieri posse sine intellectu & voluntate per se patet. Intellectu opus est, ut DEUS DEIQUE summam perfectionem & praestantiam cum suis beneficiis, quae singulis diebus ab ipso, tanquam a perenni & summo omnium bonorum fonte, in nos fluunt, cognoscant; voluntate autem, ut DEVM eximia caritate suapte sponte amant, rebusque omnibus quam longissime anteponant, omnemque salutis spem in eo solummodo figant; omnia, quibus abundant, bona, illi soli accepta referant, & denique semetipsum ad DEI amorem determinent liberrime.

*Haec hominis natura inuoluit libertatem.*

Debuit proinde haec creatura, ex qua DEUS insignem delectationem



stationem percipere cupiebat, esse libera; cum enim ista creatorem suum absolutissimum omnibus viribus adamare deberet; nemo autem dubitat, esse illum amorem nobiliorem, qui ex animo libero proficiscitur, quam qui coacte praestatur, si modo iste amoris nomine dignus est; sane adparet necesse fuisse, ut homo libertate praeditus esset, quo DEum amando libere, eo maiori eum voluptate perfundere posset. Quantum autem liberrimus amor coacto praestet, nisi me fallit animus, in liberis & servis conspicuum est; quantane laetitia permulcetur pater, cum liberos erga se tenerrimo & liberrimo amore inflammatos videt? contra vero tantopere non delectatur, cum amorem in istis ex metu poenae aut saltem ex beneficiorum spe constatum perspicit. Sic ergo existimare debemus, hunc amorem DEO esse acceptatissimum, qui illi tanquam summo amore dignissimo ex libero animo praestatur.

## §. XXII.

*Ex quibus patet, quinam a DEO sibi constitutus fuerit finis, cum conderet hominem.*

Ex istis iam constat, quinam finis fuerit a DEO sibi constitutus, cum sibi proponeret hominem condere; & quaenam deberit hominis esse natura, cum consilium iniret, se velle creaturam producere, qualis est homo; nempe DEus non poterat procreare hominem eum in finem, quo aliquid suae felicitati atque perfectioni ad iiceret; quia erat ens omnium perfectissimum; cum vero DEus ens esset sapientissimum, id semper agens, quod est ad suam naturam accommodum, nihil poterat agere aliud, quam quod ipsi voluptatem adferret; ex quo sequitur, quod DEus, cum hominem sibi creandum proponeret, alium finem sibi praestitutum habere non potuerit, quam ut ex hac creatura summam laetitiam caperet, istaque, quantum fieri potest, summopere delectaretur; quapropter & necesse erat,

vt



vt hominem secundum suum exemplar exprimeret. Vt autem hoc sine potiretur, & ea creatura laetaretur, requirebatur, vt ista intellectu, voluntate & libertate esset instructa; intellectu, quo mente perciperet DEI perfectiones, & intelligeret, quae a diuina benignitate in se congesta sint beneficia; voluntate, quo se ad DEI amorem adiungeret; libertate denique, quo Deum nobilissimo amoris genere adamaret liberrime.

§. XXIII.

*Ex disputatis haecenus constat, quam notitiam homo de statu suo primitiuo possit habere.*

Patet quoque ex his, quousque homo procedere possit, solo lumine naturae adiutus, in cognitione status sui primitiuo; id enim nullum dubium habet, quod quis, etsi diuina illustratione destitutus sit, tamen si vires suas naturales recte intendere vel, cognoscere possit, dari aliquod summum atque primum ens, a quo cetera omnia, quaecunque oculis vsurpamus, dependeant. Potest porro cognoscere, esse hoc summum ens summa sapientia praeditum, & concurrere in eo, quasi in certo centro, omnes perfectiones, quaecunque saltem cogitando percipere possumus; cum enim DEUS, tanquam huius vniuersitatis parens atque conditor, istas confusas & permixtas inter se rudis materiae partes primo ex nihilo conflasset; deinde vero & istas discreuisset, certoque ordine suis quamque in sedibus collocasset, quis crederet, hoc sine summa potuisse fieri sapientia? Potest etiam perspicere, nullum attributum in DEUM cadere posse, quod imperfectionem inuoluat; cum enim DEUS omnium rerum causa sit atque origo, sane rationi minime consentaneum foret, creaturam ipsius aliquam sibi posse perfectionem animo concipere, quae abs DEO abesset; iam cum homo creatura sit istius summi & in eiusmodi perfectione constituti entis, vt etiam istius perfectio hominis captum ex-



superet; perfacili negotio colligi potest, se non esse in eius-  
modi, quae nunc est, miseria; sed in summa perfectione & ex-  
cellentia creatum. Quod vero veteres philosophi in hoc ca-  
pite de recta via decedentes modo in haec modo in illa aua  
inflexerunt, & tanquam incertis aëti tempestatibus huc illuc  
fluctuarunt; in causa erat, quod nimis praesenti hominum  
conditioni inhaerent; vnde non poterant non vehemen-  
ter hallucinari.

## §. XXIV.

*An status integer ex natura possit cognosci?*

Ex his autem, quae diximus, vltro patet, quid responden-  
dum sit ad quaestionem, an de statu integro certa haberi pos-  
sit ex natura notitia; quidam enim hoc adfirmant, pro stabili-  
enda sua sententia adferentes; necessario sequi, si de statu  
creationis, natura magistra, certi esse possimus, vt etiam ex  
natura status integritatis cognosci valeat. Alii hoc negant, &  
ad aientium sententiam destruendam hac vtuntur distinctio-  
ne, vt alium esse adfirmant statum creationis, quem quidem  
gentiles e lumine naturae, ex aliquorum opinione, cognosce-  
re possint; alium vero statum integritatis, omnibus omnino  
ignotum, nisi ex verbo diuino reuelato, tanquam lumine grā-  
tiae, innotescat. Eum namque, cum imagine Dei concreata  
constituatur, ignotum fuisse omnibus, qui de hac ex scriptu-  
rae monumentis nihil fuerint edocti. Nos, vt libenter con-  
cedimus, quae ad peculiare circumstantias felicissimi illius  
status pertinent, non nisi ex reuelatione peculiari constare,  
ita necdum concedimus, considerationis saltem Theologi-  
cae esse de imagine Dei, & qui huic ianitur, statu integritatis  
discipere; cum, qui opera Dei & circa haec Dei consilia pro-  
fundius, quantum fieri potest, rimatur, planissime videat, v-  
numquamque creaturam impressum in se habere sui creato-  
ris characterem; & ante omnes hominis naturam ita esse

con-



constitutam, vt sui auctorem pulcherrime, vt imago quae pi-  
am artificiosissime concinnata suum prototypum, referat.  
Quod non negabit, cui vacabit iis, quae collocauimus paulo  
ante, fundamentis, cogitationibus suis pressius insistere. At-  
que vt breuiter hic mentem aperiamus, vt quaeque creatu-  
rarum perfectiones varias possidet, ita eas dicimus magis vel  
minus Deum repraesentare. Maxime omnium autem verita-  
tem, iusticiam & bonitatem ex hominibus elucere & contem-  
dimus & facile probare possumus. Quanquam concedamus  
lubentes, ista omnia praesaliente scriptura sacra distinctius  
luculentiusque cognosci.

## §. XXV.

*Digressio ad quaestionem, quousque pateat naturaliter  
notitia de labe originali?*

Similis est quaestio, quae de labe originali instituitur, an &  
quousque eius pateat naturaliter notitia? Fuerunt qui haud  
vererentur adserere, etiam gentes, sublimiori, quo nos gau-  
demus, lumine destitutas, tam oculatas fuisse, ut corruptio-  
nem humani generis haud perfunctorie cognitam habue-  
rint. Quo in capite eo vsque alicubi progressi sunt, vt persua-  
sum sibi iuerint, si diligenter colligantur omnia, quae in libris  
gentium hinc inde dispersa habentur, historiam de lapsu ho-  
minis integram & absolutam haberi posse. Contra vero per-  
tendunt alii, istas in maxima semper & crassissima huius ma-  
li versatas esse ignorantia: *Quid enim illi, vt ait alicubi Augu-  
stinus, de hac re sapere potuerunt, qui nec sciuerunt, nec legerunt  
illud, per unum hominem peccatum intravit in mundum?*

## §. XXVI.

*Nostri de his quaestionibus sententia.*

Si vero, quae nostra sit opinatio circa hanc quaestionem,  
aperire debemus, ex iis, quae posita sunt, quid respondere  
possi-



possimus, statim cognoscetur; ut tamen agamus distinctius paulo, alia est quaestio, quae de re ipsa, alia quae de eius origine instituitur. Ut homo ex naturae suae constitutione debeat esse, iam liquido nobis constat ex fine eius, qui DEO fuit necessario propositus, cum eum fabricaret. Nec tamen minus constat, hominis naturam huic fini neutiquam quadrare; porro & patet, facultates imprimis mentis miserime se a natura habere, & in alia tendere omnia, quam quibus destinantur: constat etiam, DEUM ejusmodi miserum hominem creare non potuisse, qui taedio ipsi potius esset & fastidio, quam voluptati; unde inferimus rectissime, corruptionem ingentem inuasisse in omne genus humanum; quanta vero illa sit, quam horribiliter omnem hominem vastauerit, quantumque perniciem induxerit, a qua origine ista prouenerit, quo auctore humanum genus in exitium suum fuerit prolapsum, quam poenam mereatur, & quae huius generis sunt alia ad labis originalis exaggerationem facientia, nostrae est ecclesiae doctrina, gentibus fuisse ignota; & quia res magna ex parte in factis consistit, sciri etiam non potuisse.

## §. XXVII.

*Ipsum principium iuris naturalis genuinum  
& uniuersale.*

Interim ex natura hominis, ut eunquē adhuc demonstrata, facile nunc, quae summa sint *iuris naturalis capita*, adparet. Primum autem caput est, ex quo cetera omnia dependent, & quod omnia eiusdem praecepta quasi compendio aliquo complectitur: *Ita te habes, ut finis se habet, ad quem a Deo es creatus, atque effectus; quaecunque igitur ad hunc finem faciunt, illa facienda, quaecunque vero huic fini repugnant, illa reprobenda & omittenda sunt; Ex hoc fonte omnes leges naturae, quaecunque nobis vel erga DEUM, vel erga nosmetipsos, vel*

deni-



denique erga proximum obseruandae sunt, expeditissime deriuari possunt.

§. XXIX.

*Quomodo ex illo principio officia aduersus DEum deducantur?*

Vt autem summa illa vtilissima disciplinae capita persequamur paululum, ostendendo, vt hoc ex fundamento officia hominis, quae ipsi praestanda sunt, prono quasi a lueo fluant; insistamus, quod & vulgo fieri videmus, diuisioni, ab iis petita, erga quos ius colendum est. Sine dubio autem homini recta ratione vii volenti, occurrit imprimis *Deus*. Cum autem eo fine sit conditus homo, quod iam constare putamus, vt *Deus* voluptatem ex eo, & oblectamentum capiat summum, quantum creaturae conditio admittit; quorsum & ei intellectum & voluntatem cum reliquis facultatibus assignauit; patet porro ista gratiae diuinae dona ad hunc omnia scopum esse accommodanda; inde haec surgit lex. *Ita Te erga DEum habe, vt ipse potiatur eo fine, quem sibi praefixit DEus in creatione hominis; Ita autem sese habebit homo, cum vires & facultates suas huc applicuerit; quales cum sentiat se habere & in corpore & in anima, sequitur mox lex ista: Facultates tuas omnes cum in corpore, tum in anima, ad istum scopum studiose refer.*

§. XXIX.

*Quomodo ex illo principio officia erga semet ipsum nascantur?*

Cum homo cogitationibus suis a DEO discedit, qui obuiet ipsi primus, sine dubio est *homo ipse*; qualia vero sint illa, quae ipsi erga se praestanda sunt, proximum est, vt ex nostro principio deriuemus. Equidem id certum est, hominem se  
E ipsum



ipsum obligare minime posse; cum enim ad obligationem alteri imponendam requiratur superior, hic nullus est; deinde & nullius usus foret eiusmodi obligatio; cum enim, qui alterum obligat, possit eundem & obligatione exsoluere; homo se ipsum obligans posset statim, cum luberet, & se ab illo vinculo liberare. Interim cum homo tum aduersus DEUM, tum aduersus alios homines, vt proxime audiemus, sit obligatus, qua obligatione expedire se non posset, si certa ratione ipse se non habeat; a iure naturae ad certa sibi officia praestanda adstringitur; quae ista sint, ita conficimus. Cum tam multa & DEO & suis aequalibus sint praestanda ab homine, quae praestari vel plane non possunt, vel non bene, nisi vel ipse esset in viuis, vel minus quoad facultates suas bene se habeat, hinc sponte exurgit haec lex hominem intuitu sui obligans: *Id age, vt sis in optimo & perfectissimo, quantum fieri potest, statu, & in eo te statu conserva.*

## §. XXX.

*Quomodo ex hoc principio fluant officia hominis erga alios homines?*

Tandem cum homo circa se circumspiciat multos praeter se alios homines, qui eiusdem sint naturae compotes; & quotidie multis iisque admirandis beneficiis cumulentur a DEO; perfacili colligere potest negotio, aequae istos ac se DEO esse curae; ipsum, aequae illos amare & velle, vt ipsi ad eundem secum scopum adspirent. Vnde haec lex emergit: *Homines alios, vt tui similes, quos DEUS ad eundem scopum tecum creauit, considera; & inde mox alia: Tui similibus adiumento sis, vt eum scopum attingant, ad quem estis conditi.* Quae ergo homini sunt facienda, vt finem suum consequatur, ea vt fiant & ab aliis eandem ob causam, ipsi elaborandum est.

## §. XXXI.



*Specimen demonstrationis secundum istud principium  
tum a priori tum a posteriori.*

Haec sunt ista capita & fontes, ex quibus iam facili negotio omnia officia reliqua deduci possunt & hauriri. Nec nobis arduum foret & difficile negotium, si haec omnia pluribus persequi verbis vellemus; sed prolixitatem nobis defugiendam esse putamus. Et fortasse erit, vt venerandus *Praeses*, qui mihi in his litteris summa fide & studio praeiuit, tantum suis negotiis eripiat temporis, vt huic operi manum admo- uere, atque vniuersum hoc ius eadem methode orbi tradere erudito possit; memini enim eum id aliquando nobis esse pollicitum; vbi sane, si ipsi licebit in hoc conatu persistere, rempublicam litterariam vtilissimo opere est donaturus. Quod autem nobis vberioribus persequi verbis non licet, eius rei specimen saltem exhibere, & paucissimis demonstra- re, quomodo ex nostris principiis hominis officia fluant, haud nobis erit difficile; nec lectoribus diuidiae. Homo si fini isti, ad quem a DEO est creatus, satisfacere cupiat, in quo summam iuris naturalis consistere persuasi sumus, necesse ha- bet, vt facultates illas, quae ipsi ab hoc summo opifice con- cessae sunt, ad istum summum finem adplicet atque dirigat; & quia istum non fugit, se multis & corporis & animae doti- bus esse instructum, ideoque & lex naturae illi dicat: *omnes ad hunc finem & animi & corporis dotes atque vires adhibere debes.* Nunc vterius progrediendum est; vbi iam in superioribus dictum fuit, quod homini quaedam attributae sint facultates, quae prae aliis maxime elucescant; *intellectus* nempe, *voluntas*, *animique libertas*, quanquam & haec posterior iure suo ad voluntatem referri potest. Hic vero ostendendum porro est, quomodo homo dotibus iis



aduersus Deum uti debeat. *Intellectum* Deus animae humanae adsignauit, eum praecipue in finem, quo Deum cognoscat; nam eiusmodi creatura, qualis est homo, creatorem suum exprimere atque repraesentare debebat; illud vero sine cognitione Dei fieri haudquaquam poterat; inde haec exurgit iuris naturae lex: *ita utere intellectu tuo, ut isto creatorem tuum tibi, quantum humana natura admittit, reddas cognitum.* Cognoscitur vera Deus duplici modo, vel per naturam, modo vniuersali, vel modo singulari, reuelatione scilicet peculiari diuina; de priori hanc habemus legem: *adhibe intellectum tuum, quo Deum e natura tibi cognitum reddas.* Intelligitur vero Deus e natura vel per *notitiam* Dei *insitam*, si conscientiam nostram inspiciamus, cui lex diuina est inscripta, inde oritur illud praeceptum: *observa motus conscientiae, quo intelligas, quomodo te Deus per istos adstringere velit;* vel per *notitiam* Dei *acquisitam*, ex contemplatione creaturarum, & ordinis illius, secundum quem omnes creaturae agunt & vivunt; hic colligere licet, primo esse creatorem & opificem, qui has omnes creaturas produxit; deinde etiam esse hunc creatorem ens sapientissimum, qui omnia, quaecunque saltem oculis incurrunt, ad certum finem ita mirabiliter determinauit, & huc vsque conseruauit. Sic tandem deueniendum est ad istud ens omnibus numeris absolutissimum, quod nos Deum adpellamus. Videt autem homo facillime, quod haec naturalis Dei notitia multis laboret infirmitatibus, & quod utique, si Deum vterius cognoscere, & de eius decretis & beneplacitis plura scire debeat, peculiari opus sit reuelatione; itaque lex naturae iubet: *Omnem operam adhibe, ut intelligas, an Deus praeterea peculiariter se reuelauerit.* Cum autem omnes fere gentes cultum suum diuinum peculiari superstruant reuelationi diuinae; haec cautio hic adhibenda est, ne  
 eius-



eiusmodi eligatur religio, quae divinae sapientiae, bonitati & omnipotentiae repugnet. Vnde demum haec surget lex: *Nullam revelationem divinam admitte, quae divinae sapientiae, bonitati & potentiae est adversa.* Haec sufficere possunt de intellectu. Dicenda & quaedam sunt de voluntate; circa hanc illam habemus legem: *Ita utere voluntate tua, ut istam imprimis ad Deum dirigas;* quia vero voluntas sese exferit vel in quaerendo, vel in amando, vel in fruendo; ita & lex naturae primo loco hic iubet: *quaere Deum;* quaerimus vero Deum, si summo desiderio erga Deum flagramus, & illius possessionem aude cupimus; si quaeritur Deus, tandem se inueniri patitur; cum DEO inuento est expetenda arctior vnio, quae amore DEI ex parte continetur; inde lex naturae iubet porro: *ama Deum;* amamus vero Deum, si illum rebus omnibus anteponimus; summo honore & cultu, tam interno, quam externo prosequimur; si ad familiaritatem illius nos adplicamus, & denique voluntati ipsius morem gerimus. Exinde noua praeceptorum est copia: *Deum rebus omnibus antepone, summo honore & cultu interno ac externo prosequere, familiariter cum ipso conuersare, & denique morem ipsi gere & obtempera.* Tandem cum re, quam possidemus, eiusque usum soleamus delectari; hic quoque lex naturae nobis intungit: *DEO frui;* quod est, ex isto summum capere oblectamentum. Quia vero homo saepius abstrahitur ab ista delectatione DEI nimio usu creaturarum, itaque ulterius lex naturae dicitur: *Ita uti debes creaturis, ut per istas bonitatem DEI tibi reddas perspetam; fuge autem istas, quas intelligis, te a DEO abstrahere.* Restat adhuc *libertas animi;* quam DEUS homini indulxit, ut se mobilissimo amoris genere circumplectatur; inde ergo exsurgunt haec leges: *Impende libertatem tuam obiecto di-*



*gnisimo: in omnibus rebus DEum tibi praefixum habe, & tandem in voluntate DEI plenissime adquiesce.* Ita a priori, ut loquuntur, rectissime proceditur. Progrediamur nunc, sed breuiter, ad demonstrationem, quae procedit a posteriori ad prius. Quod si igitur quaeratur, an sit officium hominis praesenti conditione, in quam est a DEO positus, esse contentum? illa quaestio iuxta nostram hypothesein est utriusque adfirmanda; debet utriusque homo adquiescere ea conditione, in qua in praesens a DEO est constitutus; id probatur ex eo, quia libertate sua homo DEO adhaerere, & omnibus in partibus eius voluntatem respicere debet; id vero probatur ex eo, quoniam libertas hominis nobilissimae essentiae tradenda est; atqui hoc vicissim patet ex eo, quoniam DEus eum in finem hanc dotem pretiosissimam in hominem est elargitus; ita vero te gerere debes, ut sine tuo potiaris; quo ipso demum ad primum accessimus principium: *Ita te habe, ut finis se habet, ad quem a DEO es creatus.*

## S. XXXII.

*Praerogatiua sententiae nostrae prae principis  
ab aliis positis.*

Poterant adiungi plura; sed haec possunt sufficere, ut quae mens nostra sit, innotescat planius; sed quodnam, inquit aliquis, hac Dissertatione fecistis operae pretium? De hoc penes intelligentes sit arbitrium. Putamus tamen, fecisse nos operae pretium non omnino nullum. Nam ut abesse a nobis cupimus omnem de magnis viris sinisterius iudicandi pruritum; iuuenes minime, sed nec senes quidem, decentem; ita nec ingenium hu-



humanum tam arctis limitibus existimantur esse circumscri-  
bendum, ut illorum saltem vestigiis incedere par sit, qui prae-  
cesserunt, de ulteriori vero profectu ne cogitandum quidem  
sit, ac si isti iam omnem vim ingenii possederint, atque omnem  
scientiam exhauerint. Laudem ergo promeriti sunt, & inue-  
nerunt merito, qui praeclaris monumentis rempublicam eru-  
ditam illustrarunt; sed nec posteris inuidendum est, si & illi  
quid conferre possunt, quod communi utilitati inserviat. Haec  
autem nostra sententia est eiusmodi, ut illa multis in partibus  
aliis, nisi per omnia fallimur, praeferenda videatur. Ex ista  
enim elucescit dignitas ipsius hominis, & vera illius, & quod  
eum comitatur, iuris naturalis origo; omnia istius iuris prae-  
cepta facili negotio se dant ad manum, & veluti ex vberissimo  
fonte profluunt & sponte & dulcissime; nulla hic fictione op-  
pus est, nullis commentis, nullis praesuppositis ab aliis reuo-  
candis in dubium, aut non admittendis; sed ex ratione omnia  
deducuntur; DEO primum adscribuntur cuncta, ad DEUM ho-  
mo ducitur, ad quem natura duci debet. Patent officia erga ho-  
mines alios, & hominis erga se luculentissime. Contra vero  
qui socialitatem pro principio vniuersali adsumunt, & homi-  
nis naturam tam profunde & accurate, ceu par est, non confi-  
derant, & nescio quem illius originem fingunt, ac eo certe non  
adscendunt, unde origo iuris vera petenda erat; nec officia er-  
ga DEUM directe, ex semel posita fundamentali propositione  
deducere possunt; sed indirecte eos & per ambages procedere  
oportet; ita profecto nullo modo expedita est eorum proce-  
dendi ratio. Illorum vero methodus, qui ad statum integrita-  
tis utroque oculo respiciunt, commendanda quidem est; sed  
tamen in demonstrationis negotio adeo facile procedere non  
possunt, ut videatur nobis in primo limine ipsis haerendum es-  
se.



se. Nos vero; qui in Deum, tanquam in summum Creatorem  
 respicimus, & ex eius natura & attributis, quae agnoscere oportet  
 omnes homines, recto rationis lumine utentes, sine vlllo  
 impedimento proferimus omnia, quaecumque nobis incumbunt  
 praeccepta iuris naturae; & proinde caute evitamus illorum,  
 quos recensuimus, incommoda; & quae illi habent egregia,  
 in nostram rem vtiur nostro iure, commodissime; quae in  
 re & iuris nostri dignitatem & facilitatem vti que adstraisse vi-  
 demur; vt bona proinde nobis spes sit, qualemcunque ope-  
 ram nostram, a viris cordatis & sapientibus non pla-

**SOLI DEO GLORIA.**





*Ad Virum Illustrum atque Excellentissimum,*  
**IO. ERNESTVM DE SCHOENLEBEN,**  
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-SERVESTANI,  
**CAROLI GVILIELMI,**  
CANCELLARIVM, CONSILIARIVM INTIMVM CONSISTORIIQVE  
PRAESIDEM,  
VBIQVE SPLENDIDISSIMVM,  
ADLOCVTIO  
**IO. GEORGII PRITHI,**  
PRAESIDIS.

**F**ilium Tibi fisco, Vir Excellentissime, duobus abhinc  
annis, & quod ultra est, veluti preciosum aliquod pi-  
gnus, meae commissum fidei; filium, inquam, qui,  
quae tua est felicitas, rectissimo, & paternis pulchre ve-  
stigiis impresso, ad sublimem virtutis & inde felicitatis  
solidae, alacriter contendit itinere. Ex eo certe tempore,  
quo persuasum Tibi iuisti, posse carissimam prolem tu-  
am sub manu ductione mea ad virtutis sincerae bona-  
rumque scientiarum possessionem proficere; nihil existi-  
maui mihi habendum esse antiquius, quam ut spem tu-  
am, quam opinione aliqua mei conceperas, si non plane  
implerem, tamen nec per omnia destituerem. Atque  
cum vix mihi incundius quicquam in vita mea accidat,  
quam tenerae aetati & bonis veluti formis recipiendis  
aptissimae, penes amorem aduersus castigatam probita-  
tem integritatemque morum, doctrinas, generosa indole  
dignas, instillare; facile sensi, si quid unquam his in ar-  
tibus valerem, quod exiguum esse libenter adgnosco, hic  
F me



## ADLOCVTIO PRAESIDIS.

me posse cum foenore amplissimo in eo elaborare. Cum ergo ad idem institutum profigendum accessissent nonnulli commilitones alii, eodem discendi ardore inflammati, adgressus sum suauissimum negotium, eo quidem cum successu, ut ne quicquam metuam, utrinque laborem frustra fuisse impensum. Istud enim curriculum, cui nos incluseramus, & ad quod ementiendum fidem adstrinxeram meam, haud ita pridem feliciter pergen- do absoluius; nam praeter ea, quae ad loquendi scri- bendique politiam & eloquentiae facultatem pertinent, in ratiocinandi arte, in philosophia prima, in discipli- na morum, in iure naturali, in civili prudentia, in astro- nomiae denique, geographiae & historiae cognitione, a nobis posita sunt rudimenta. Atque cum ipsi arriperent auide, quae a me tradebantur non segnius, & diligentia inuicem ego docendo, discendo illi certaremus, tam bene nunc ad ulteriora praeparatos illos existimem, nihil ut obstat amplius, quo minus cum fructu ad sublimiores ca- thedras & altiora studia hinc possint amitti. Haec qui- dem explore tibi esse cognita non dubitem; qui ita rem publicam administras, ut tamen & curam pro re familiari sobolisque praeclarae educatione haud negli- genter geras. Sed ut huius industriae, qua incitatus Fi- lius ille tuus meis scholis usque adhuc dedit operam, ex- taret aliquod specimen, & Tu voluisti, & ego vehemen- ter suasti. Placuit argumentum, quodcum per se sit gra-  
vis-



ADLOCVTIO PRAESIDIS.

*Disissimum, tum tale, in quo periclitari vires suas & ingenium ostendere me iudice iuuenis aptissime possit. An ornauerit hoc munus, quod suscepit, ex dignitate materiae, iam tuum sit & aliorum, has litteras intelligentium, iudicatio & arbitrium. Id licet spondere non possim, ut in meletemate hominis, haec studia non a multo tempore adgressi, non potuerint aliqua poni emendatiuis, aut quae probanda sunt, maiori argumentorum vi & robore euinci; persuasus tamen sum, excusationem, immo vero & laudem mereri, si quae ab hac aetate tentantur, quamuis per omnia seuerioris censurae calculum non auferant. Nam quae deesse censentur, ea maturius iudicium tempestiue adiiciet; uti nec in arbusculis frugum primitiae minus sunt acceptae, cum per se sapore optimo se commendent, licet fortasse ad grandiorum arborum non adscendant maturiores delicias. Spero autem te, Vir Illustris, ex dissertatione hac Filii tui, quam suo ipse Marte sub oculis tuis elaborauit, eas ingenii dotes elucere, quae spem pulcherrimorum, qui olim secuturi sint, faciant fructuum. In re ipsa dissentiri ipsi visum est a viris magnis, in quo habuerat me, cum ista tractarem, praeceuntem: sed id tamen facit modeste, ut homines decet, quorum rudior aetas meritisimis de bonis litteris viris, merito ueneratione adsurgit. Quae causae dissentientiae ipsi fuerint, & ut ulterius progredetur, quam factum est a viris eruditissimis, qui iuris*

natu-



## ADLOCVTIO. PRAESIDIS.

naturalis disciplinam ad modum scientiae tradiderunt, illae vero ex his, quae hic leguntur pagellis, satis sunt euidentes. Id habent disciplinae omnes, ut paulatim ad plenam tendant perfectionem; & quae circa easdem rudius ab initio erant cogitatae & propositae, illa demum, cum ab ingeniis hominum magis magisque expoliuntur, plena demum pulchritudine se exhibent. Nobis praeterea id potest sufficere, quod ad summam usque radices in iure hoc deducendo peruenerimus, re e primo fonte ita omni deriuata, ut mentem humanam altius in hoc negotio ascendere posse mihi non fiat consentaneum. Ac si cui, quae Gen. I, 26. Rom. XI, 36. I. Cor. II, 6. Ps. CIV, 31. expendere libuerit, is peruidebit facile, nihil a nobis dici, quod non ex thesauro omnis sapientiae fuerit haustum, et auctoritate diuinae luculenter adstruatur. Quod restat iam, id a Te primum, Vir Illustris, reuerenter oro, ut quam impendi in Filium tuum, optimis artibus instituendum, operam, acceptam gratamque habeas; deinde & votum adicio ex animo. Vobis deditissimo profectum, ut CAROLVS ERNESTVS tuus, soboles ex auspiciatissimo coniugio vnica, nunc in Academiam ableganda, ita tum in egregiis virtutibus omnibus, tum in omni liberali doctrina proficiat, ut Tibi iuxta cum Coniuge, omni virtutum genere ornatisima, uberrimam gaudendi suppeditet subinde materiam! Vale! Seruestrae Nonis Aprilis. A. O. R. 1699. L. c. c. l.



AB: 155 159

ULB Halle 3  
002 673 711




17

56.


V017











34.

Q. D. B. V.  
DE PRINCIPIO  
IVRIS NATVRAE  
GENVINO ET VNIVERSALI,  
SVB MODERAMINE ET PRAESIDIO  
VIRI MAXIME REVERENDI  
IO. GEORGII PRITII,  
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS ET  
PROFESSORIS PVBLICI,  
PRAECEPTORIS SVI VENERANDI,  
AD DIEM XII. APRILIS  
Ao. O. R. cl. l. ccl.  
IN ILLVSTRI, QVOD EST SERVESTAE, AN-  
HALTINO PVBLICE DISPVTABIT  
HORA LOCOQVE CONSUVETIS,  
AVCTOR ET RESPONDENS  
CAROLVS ERNESTVS DE SCHOENLEBEN.  
SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.

*J. Rector Doffe*

